

## DEDICATORIA.

potissima etiam causa est, cur haud raro multi Barones & Principes literarum tractationem, à quibus tamen alias minimè abhorrent, prorsus abjiciant, cum in eis nil nisi ejusmodi perplexitates & obscuritates inesse putant. Concinnavi itidem quanto potui studio & diligentia duplicem Grammaticam Latinam: unam, quam adulti, si qui meis laboribus uti velint, non quidem ediscerent, sed saepius tamen legendo ac relegendo sibi familiarem facerent, praecipue quod Syntaxin & Prosodiam attinet: Alteram verò Compendii nomine insignitam pro Discipulis edidi, ut ad summum ex ea tres octerniones memoria mandarentur, qui propterea etiam peculiari literarum caractere distincti sunt. Reliqua enim omnia multò rectius, ut mihi quidem videtur, perpetuis exercitiis Declinationum & Conjugationum, Phrasibusq; eò accommodatis Latine vertendis brevi tempore absq; ulla molestia puerorum animis instillari poterunt. Quam ad rem mea Germanica Syntaxis Tirocinio inserta, cui ego in institutione plus quam Latinae tribuo, non parum adjumenti afferre potest dummodo viva vox praecipientis Praeceptoris accedat, nec ejusmodi tirones in primo praesertim visu atq; conatu stili exercendi sibi ipsis relinquuntur, ut in meo tractatu de puerorum Institutione ibidem fusius dictum est. Omnes autem hos labores non nisi sincero amore Veritatis, quam nemo hominum odisse putandus sit, itemq; ex commiseratione scholasticae juventutis, cessantibus aliis ad banc rem magis idoneis, ultrò